



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Decreta Provinciae Mediolanensis Svb B. Carolo Borromeo, Cardinale Archiepiscopo, Diuersis temporibus in sex Concilijs, totidemq[ue] voluminibus edita

Speciano, Cesare

Brixiae, 1603

Tit. XVII. De Officio Thesavrarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10553

præstari, ut opus esse censuerit, præsertim, cum ad aliquod Episcopale munus obendum accedit. Si que complures eiusdem ordinis sunt, rationem certam ineat, ut per regiones distincti, in orbem id muneris præsentent.

DE OFFICIO THESAVRARII.

Distributiones, pœn a Thesaurario iniuncta, ritè fiant. Cap. I.

HESAVRA RIVS Capituli, siue alius quocumque is nomine dicatur, qui quotidianas distributiones partitur, curet ipsas vnicuique distribuendas pro rata parte laboris, & officij ex iuris, & nostrarum, & provincialium Constitutionum præscripto, & ex ordine librorum punctatoris.

C A P . I I .

Is distributiones eorum, qui absentia, vel errati causa notati fuerint, nè persoluat, si id fecerit tantundem de suo det, quod in Ecclesia vsum conferatur, & ob eam causam etiam unius mensis distributiones amittat.

DE OFFICIO MANSIONARIO- rum, siue Cappellanorum.

Quæ agere, & cauere debent Mansionarij, seu Capellani, & qualiter eisdem prouidendum sit. Cap. I.

MANSIONARIJ siue Cappellani, qui chori sunt quasi quedam columnæ, totum ferè horarum, ac diuinorum officiorum pudus sustinentes, munus suum accuratè obeant.

Cum oportuerit, ad lectorile accendant, vt Antiphonas, Responsoria, Gradualia, & alia huius generis canant.

Solennibus festis diebus, & quoties opus erit, pluvialia induant, nisi alij nominatim huic officio præfeti sint.

Si muneri suo defuerint, illius horæ, in qua non satisfecerint, distributione priuentur, & alij eius arbitratu, qui choro præsidet, illorum officij partes suscipiant.

Iudem, ut muneri suo commodius satisfacere possint, ab ijs oneribus liberentur, quibus ad chori utilitatem, magistri ceremoniarum, & eius qui choro præsit, arbitrio levandi videbuntur, neque quo tempore diuina officia in choro fiunt parvam Missam celebrent, nisi necessitas postularit.

Eisdem Episcopus honestum stipendium constituendum curet, quod, si illicetiam dantur distributiones, eodem tempore, quo Canonici, pro officijs, & laboris modo eas percipiant.

Duo ex